

VE
RI
TAS
HARVARD COLLEGE
LIBRARY
FROM THE LIBRARY OF
KONRAD VON MAVRER
OF MVNICH
THE GIFT OF
ARCHIBALD CARY COOLIDGE
— CLASS OF 1887 —
ASSISTANT PROFESSOR OF HISTORY
1904

DE
ARISTOTELIS
LIBRORUM
AD
HISTORIAM ANIMALIUM
PERTINENTIUM
ORDINE ATQUE DISPOSITIONE

SCRIPSIT

ET

AUCTORITATE AMPLISSIMI

ORDINIS PHILOSOPHORUM

PRO

IMPETRANDA FACULTATE LEGENDI

IN AULA


UNIVERSITATIS LUDOVICO-MAXIMILIANEAE

DIE XVIII M. NOVEMBR. MDCCCXLIII

PUPLICE DEFENDIT

CAROLUS PRANTL,

PHIL. DOCT.



MONACHII.

SUMPTIBUS INSTIT. LITER.-ARTIST. I. G. COTTAE.

1843.

Aristotelis philosophia maiore nunc indies studio ita retractatur, ut non solum ingenii exercitatione philosophica acuendi causa hunc vel illum eius librum legamus vel doctrinam tanquam rem actam in describenda philosophiae historia narremus, sed ut universam praestantissimi philosophi disciplinam vere iam reviviscentem eiusque summa principia mente concipere penitusque intelligere studeamus. Hunc vero finem tum demum assequemur, si interiorem nexum, quo omnes libri inter se coniuncti sint, investigaverimus et inde accurate cognorimus, quomodo una quaedam prima ratio quum omnia tum singula regat atque illustret. Talis autem quod dicunt systematis in Aristotelis libris non continuum complexum inveniri, sed vestigia tantum dispersa animadverti posse, fere aliquis putaverit, quando quidem ex tot eius libris tam pauci nobis relicti sint, etiamsi enim non plura millia librorum, ut Ptolemaeus Philadelphus narravit[1]), ab Aristotele conscripta esse credimus, tamen maior certe pars deperdita est,

---

1) Vide Stahr Aristotelia II., pag. 69 et pag. 63 adnot. 1.

— sed in eorum librorum, qui adhuc exstant, mero eos reperiri constat, ex quibus praestan simas totius disciplinae partes non solum lal adtingere sed fere exhaurire liceat.

Iam primis temporibus de ordine Aristot operum quaesitum esse a Simplicio docemur, Adrastum Aphrodisiensem singularem librum π τῆς τάξεως τῆς Ἀριστοτέλους φιλοσοφίας scripsis narrat [2]). Magis φιλοβίβλως quam φιλοσόφ multi viri docti de Aristotelis librorum se atque ordine disputavere, quum nimia illorum talogorum, quorum alterum Diogenes Laërtius terum Anonymus Menagii nobis tradidere, hal ratione libros, qui exstant, disponere vel eti dilacerare conati sint. Librum de ordine lib rum Aristotelis Franciscus Caballa scri (a. 1495); editioni Basileensi (a. 1531 fol.) pr fixa est commentatio Guarini de vita et sc tis Aristotelis, editioni vero Lugdunensi (a. 1 fol.) Gemusaei dissertatio; Franciscus tricius in tomo primo Discussionum Peripa carum quum de disciplinae partibus (Lib. I tum de singulorum librorum dispositione (Lib. I egit; Samuel Petitus (Miscell. IV, 9. ad l Att. pag. 64) temporis ratione habita ordi librorum divinare conabatur; deinde Joan

---

2) in praefatione ad comment. in Categor. (ed. Basil 1551 fol. 2.)

Theophilus Buhle (Biblioth. d. a. Litter. u. Kunst. Goett. 1792, fasc. 10. pag. 33—47) docuit, quem ordinem restitutum ipse velit; post hunc Franciscus Nicolaus Titze librum singularem de Aristotelis operum serie et distinctione (Lips. 1826) edidit; denique ne quid deesse videatur, cogimur, ut etiam istam dissertationem commemoremus, quam Carolus Hermannus Weise postremo novae, quam dicit[3]), editionis fasciculo praefixit. Quorum omnium sententiae quam parum probari possint, monstrare nunc non in animo est; nobis enim proposuimus, de parte tantum aliqua Aristotelis librorum agere atque inquirere, quomodo ii libri, qui ad historiam naturalem pertinentes exstant — historiae animalium, de partibus, de motu, de incessu, de generatione animalium — inter se et cum ceteris libris physicis cohaereant. Hac de re praeter eos, quos de omnium operum ordine scripsisse modo diximus, plures viri docti aut singulares libros composuerunt, aut data occasione disseruerunt, qui quid de ordine senserint, quam paucissimis verbis hic narremus; singulae enim eorum opiniones ipsa nostra, quam proponemus, disponendi ratione, si quidem probetur, refutabuntur. Daniel Furlanus (In libros Arist. d. part. anim. Dan. Furlani Cretensis commentarius

3) Vid. *Neue Jen. Litt. Zeit.* 1842, N. 124, pag. 515 sqq.

primus etc. Venet. 1574, pag. 10—26) post meteorologica ponit historiam animalium, deinde libros de partibus, de generatione, de incessu animalium, de anima, parva naturalia, denique de motu; Joann. Theoph. Schneider Saxo (editionis hist. anim. Tom. I. pag. XCV—CXXV) hunc ordinem proponit: hist. anim., d. part. anim., d. incess. anim., d. anima, d. sens., d. memor., d. somn. et d. insomn. et d. divin. in somn., d. mot. anim., d. gener. anim., d. long. et brev. vit., d. iuv. et sen., d. vit. et morte, d. respir., d. plantis. Franc. Nicolaus Titze libro inscripto *Aristoteles über die wissenschaftliche Behandlung der Naturkunde überhaupt, vorzüglich der Thierkunde* (Lips. 1829 et 1823) probare studebat, primum librum de partibus animalium tanquam prooemium universae historiae naturalis ante primum librum historiarum ponendum esse, quam opinionem pluribus verbis ut refutemus infra oportebit, — in libro vero, quem iam laudavimus *de serie et distributione* huncce ordinem proposuit: hist. anim., d. part. anim., d. incess. anim., d. anima, d. sens., d. memor., d. somn. et d. insomn. et d. divin. in somn., d. mot. anim., d. gener. anim., d. long. et brev. vit., d. iuv. et sen., d. vit. et mort., d. morbo, d. plantis. Fridericus Adolphus Trendelenburg (in editione libr. d. anim. pag. 113—125) dicit: *Omnia si vera sunt, qualia significavimus, haec erit librorum series, quam inde*

fingas. Antecedent libros de anima physica et nonnullorum sententia libri de generatione et corruptione, quibus analytica posteriora non temere addideris, sequentur vero libelli de sensu, de somno, de somniis, de respiratione, quos suo iure supplementa dixeris; sequetur scriptum de communi animalium motu; sequentia denique libri de generatione animalium; promittitur liber de nutrimento, quem antiquitas nobis non reliquit. Libellus de interpretatione ultimo fortasse loco ponendus. De librorum serie haec non certa affirmentur, sed probabilia proponantur, dum universa omnium Aristotelis librorum conditio et mutua inter se ratio subtilius examinetur. Ludovicus Ideler (in edit. meteorol. Vol. II. pag. 363) historiam animalium non ad φυσικὴν φιλοσοφίαν pertinere sed extra systema ponendam esse dicens de ceterorum librorum ordine suam sententiam retinuit.

In dissertatione ipsa eam viam ingrediemur, ut primum investigemus, quid in singulis de animalibus libris et quo nexu et quo consilio Aristoteles scripserit, deinde proponamus, qui librorum ordo inde necessarie sequi videatur, quocum eos locos, quibus auctor libros aut antecedentes allegat, aut sequentes promittit, omnes prorsus congruere monstrabimus, postremo vero de omnium librorum physicam philosophiam spectantium serie sententiam proferre audeamus.

Primum itaque, quid historiae animalium — *περὶ ζῴων ἱστοριῶν βίβλια δέκα* — contineant, examinemus. Iam autem, ne rem actam agamus, decimum librum suo loco, quem nuper Leonardus Spengel[4]) ei vindicavit i. e. post septimum ponimus. Lib. I. capp. 1—6 prolegomena quaedam sunt, quibus Aristoteles praecipue docet, quomodo animalia inter se differant, primum vita et actionibus[5]), deinde moribus, tertium partibus; cap. 6. denique omnia animalia dividuntur in *ἔναιμα* et *ἄναιμα*, quorum priora in *τετράποδα ζῳοτόκα, τετράποδα ἢ ἄποδα ᾠοτόκα, ἰχθῦς, τὰ κητώδη*, posteriora in *ὀστρακόδερμα, μαλακόδερμα, μαλάκια, ἔντομα*, qua Aristoteles divisione ubique utitur. His praelusis (c. 6, pag. 491, 7 *ταῦτα τοῦτον τὸν τρόπον εἴρηται νῦν, ὡς ἐν τύπῳ γεύματος χάριν περὶ ὅσων καὶ ὅσα θεωρητέον*) iam auctor ad rem ipsam transit in quatuor partes divisam, quae hoc ordine se excipiunt: partes animalium I, 7—IV, 7, sensus et vita animalis IV, 8—11, generatio animalium V, 1 — VII, 12 cum libr. X, vita et mores VIII et IX. Partes autem enumerantur primum hominis — I, 7—17 —

4) *De Aristotelis libro decimo histor. animal. et incerto autore libri περὶ κόσμου commentatio, quam pro munere profess. publ. ord. in facult. philos. academ. Rup.-Carol. rite suscipiendo scripsit Leonardus Spengel. Heidelb.* 1842.

5) pag. 487, 14 verba *καὶ τὰ ἤθη* delenda sunt, quum de morum diversitate demum pag. 488, b, 12 agatur.

quum exteriores: caput (c. 7—11)[6], cervix (c. 12), truncus (c. 12—15), membra (c. 15), tum interiores: cerebrum, oesophagus, arteria, viscera (c. 16 sq.), — deinde animalium (II, 1 — IV, 7) et primum quidem eorum, quae *ἔναιμα* i. e. sanguine constituta sunt (II, 1 — III, 21), et horum primum partes, quae compositae sunt — *τὰ ἀνομοιομερῆ*, recensentur (usque ad III, 1) — quum interiores quadrupedum viviparorum (c. 1—9), quadrupedum oviparorum (c. 10 sq.), avium (c. 12), piscium (c. 13), anguium (c. 14), tum interiores scil. viscera (c. 15 - 17) et membra genitalia (III. 1) —, deinde partes, quae in similes rursus partes dividi possunt — *τὰ ὁμοιομερῆ* — quum innatae (c. 2—20): venae, arteriae, nervi, ossa, cartilagines, ungues, ungulae, cornua, crines, squamae, membranae, caro, adeps, sevum, sanguis, medulla, — tum non innatae (c. 20 sq.): lac et semen genitale[7]; — sequuntur itaque secundo loco par-

---

6) c. 11, pag. 492, 13 Bekkerus invitis codicibus posuit ἔτι δὲ pro ἔστι δέ, immerito, ut videtur, nam a c. 8 incipit enumeratio partium oris i. e. προσώπου, quae aurium commemoratione interrupta 492, b, 5 rursus continuatur; optime igitur se habet: ἔστι δὲ κεφαλῆς μόριον *i. e. est autem capitis, non oris, pars etc.*

7) in descriptione τῶν ὁμοιομερῶν lacuna est, nam cap. 2 τὰ ὁμοιομερῆ enumerantur, de quibus in hoc libro agendum sit: αἷμα καὶ μόριον, ἐν ᾧ πέφυκεν ἐγγίνεσθαι c. 2 - 4 et 19, ἴχωρ c. 19, ἶνες c. 6, σάρξ c. 16, ὀστοῦν καὶ ἄκανθα c. 7, χόνδρος c. 8, δέρμα c. 11, ὑμὴν c. 13—15, νεῦρα c. 5, τρίχες c. 10 —12, ὄνυχες c. 9, πιμελὴ, στέαρ c. 17 sq.; ubi autem τὰ

tes animalium exsanguium i. e. τῶν ἀναίμων (IV, 1—7), quae hoc ordine enumerantur: μαλάκια (c. 1), μαλακόστρακα (c, 2 sq.) ὀστρακόδερμα (c. 4—6), ἔντομα (c. 7). — Ceterum in his omnibus singula tantum Aristoteles animalia nuncupat, et quibus partibus inter se diversis exstructa sint narrat, vel quae sit exterior partium coniunctio qualemve speciem praebeant.

In secunda parte, de sensibus vitaque animali, Aristoteles primum monstrat, animalia sanguinis non expertia omnibus quinque sensibus exstructa esse, exsanguium vero in insectis dubium videri, num visu et auditu utantur (c. 8), deinde docet, quomodo sonus et vox et sermo inter se differant et quibus animalium generibus natura dederit (c. 9), porro, quae animalia dormiant, quae somnientur (c. 10), denique in quibus sexus diversitas sit et quomodo sexus virilis a feminino differat.

Tertia pars de generatione animalium prolegomena quaedam continet (c. 1—14), in quibus primum coitus ratio ac modus in diversis animalium generibus monstratur quum ἐναίμοις (c. 2—5)

περιττώματα, κόπρος, φλέγμα, χολὴ tractantur? (μύελος et γονὴ et γάλα, de quibus agitur c. 20—22, non nominantur); in libro quidem de partibus animalium II, 7, ubi ordo τῶν ὁμοιομερῶν ad περιττώματα deduxit, ea in libros de nutritione ablegantur, sed in historia animalium deesse non possunt; quum omnia quoque cetera excrementa in his enarrata iterum in libris d. part. anim. occurrant.

tum *ἀναίμοις* (c. 6 – 8), [8]) deinde, quibus anni temporibus (c. 8—13) et qua aetate (c. 13) coire soleant. [9]) His itaque praemissis Aristoteles docet, quomodo animalia (V, 15—VI, 37) et homo (VII et X) gignantur; animalium primum enarrat *τὰ ἄναιμα* (c. 15—32): *ὀστρακόδερμα* (c. 15 sq.), *μαλακόστρακα* (c. 17) [10]), *μαλάκια* (c. 18), *ἔντομα* (apes praesertim et tenthredines c. 19 – 32), — deinde *τὰ ἔναιμα* (V, 33 – VI, 37): *τετράποδα ᾠοτόκα* (c. 33), *ἄποδα ᾠοτόκα* (c. 34), *ὄρνιθες* (VI, 1—9), [11]) *ἔνυδρα, ἰχθῦς* sc. et *τὰ κητώδη* (c.

---

8) in quorum enarratione *τὰ ὀστρακόδερμα* desideramus, quae quum abesse non possint, exciderunt.

9) in quibus satis magna perturbatio est, quum c. 8 et 9 aves primum commemorentur, et pag. 542, b, 27 – 30 pauca aliquot verba de insectis sequantur, quibus deinde subiiciuntur verba (v. 30) *τίκτει δ' ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὰ πολλὰ τῶν ἀγρίων, ὅσα μὴ ἐπικυΐσκεται οἷον δασύπους*; deinde de piscibus agitur et bene ordo procedit usque ad c. 13, ubi non solu" subito aves post *ὀστρακόδερμα* rursus interveniunt, sed etiam verbis offendimur, quum haec (pag. 544, 25): *τῶν δ' ὀρνίθων τὰ μὲν ἄγρια, ὥσπερ εἴρηται, ἅπαξ ὀχεύεται καὶ τίκτει τὰ πλεῖστα* non sit quo referantur (c. 8, pag. 542, b, 2 nimis in universum dictum est, quam de quo cogitari possit); variis casibus quos hi libri de animalium historia certe tulerunt, etiam factum esse potest, ut totum hoc caput 13 ex libro sexto huc devenerit, ubi post caput primum optime se habet; verba *ὥσπερ εἴρηται* tunc ad pag. 558, b, 24 respiciunt; quae vero verba *ὥσπερ εἴρηται* VI, 4, 562, b, 5 leguntur, optime tunc referuntur ad pag. 544, b, 8.

10) pag. 549, 17 pro *προστίκτουσιν* legendum est *προεντίκτουσιν* cf. IV, 2, pag. 526, b, 10.

11) primo statim aspectu apparet, capp. 8 et 9 transponenda esse; postquam enim auctor docuit (c. 2 et 3), quomodo

10—17)[12]), τετράποδα ζῳοτόκα quum ἥμερα tum ἄγρια (c. 17—37).

Nil vero aliud his omnibus docemur, quam, quot pulli pariantur et quomodo et ubi et quando; quas res sola experientia apparuit. — De hominis deinde generatione fusius exponitur, quomodo initio, quando infans nascatur, partus edatur (VII) et quomodo postea vis gignendi servetur pereatve (X), et primum quidem, qua aetate mares semen effundere incipiant (VII, 1) et feminae menstrua (c. 2), quomodo et quamdiu feminae concipiant (c. 3—6), quomodo fetus ipse procreetur (c. 7—12), — deinde (X), quibus rebus opus sit, ut femina post partum praesertim iam editum denuo parere possit.

Quarta denique historiarum animalium pars, quae librum octavum et nonum amplectitur, animalium morum descriptionem continet quum exteriorum (VIII) tum interiorum (IX); ibi enim auctor post prolegomena (VIII, 1 sq.) monstrat, quomodo animalia victum sibi parent (c. 2—11), deinde,

---

pullus in ovo crescat idque relinquat, de singularum avium fecunditate agens enumerat columbas (c. 4), vultures (c. 5), aquilas (c. 6), cuculum (c. 7), pavonem (c. 9), ita ut ordo capite 8, ubi de incubatione sermo est, interrumperetur, nisi hoc caput ultimo loco poneremus, ubi avium descriptionem bene concludit.

12) c. 11, pag. 566, 8 αὐτῇ pro αὕτη apud Bekkerum typothetae errore in textum venit.

quomodo anni temporum damna effugiant alia emigrando (c. 12 sq.), alia in speluncis habitando (c. 13—17), quid denique cuncta animalia patiantur propter anni tempora (c. 18—27) vel locorum conditionem (c. 28 sq.) vel graviditatem (c. 30), — libro nono autem, quomodo animalia ingenium suum prodant in sexu et inimicitia mutua (c. 1 sq.) et praesertim calliditate non solum quadrupedia (c. 3—6) et aves (c. 7—36), sed etiam pisces (c. 37), quin *μαλάκια, ὀστρακόδερμα, ἔντομα* (c. 37—43); quibus addit denique aliquot mansuetorum aut parentum amantium animalium enarrationem [13]).

In omnibus itaque historiarum animalium libris animadvertimus, res tantum enarrari; describi enim, quomodo singula animalia se habeant, quibus rebus a ceteris diversa sint, — non vero rationem usquam neque causam indagari neque interiorem diversitatem inquiri, quum is tantum huius operis finis videatur fuisse, ut ea doceantur atque enarrentur, quae de singulis animalibus sciamus oportet, antequam philosophice de iis inquiramus.

Prorsus alia vero ratione diversoque consilio libri de partibus animalium scripti sunt, in quibus philosophus rerum in historia animalium

13) quae c. 50, pag. 632, 33 usque ad finem libri leguntur, huc non pertinent, et si quidem sic ab Aristotele scripta sunt, a fine octavi potius libri in hunc delata esse videntur.

narratarum causas, i. e., cur singulae tales sint, quales sunt, monstrat et argumentis confirmat, omnia ita comparata esse, ut finem suum — *τὸ ἀγαθὸν* — assequi possint, „naturam enim nil temere agere." Post prolegomena, quae satis longa librum primum implent, in duas partes universum opusculum dividitur, quarum altera *τὰ ὁμοιομερῆ* (II, 1 9) continet, altera *τὰ ἀνομοιομερῆ* (II, 9—IV, 14), quae *ἀνομοιομερῆ* non solum ita inter se cohaerent, ut ad servandam vitam animalem eorum munera et actiones se invicem postulent et adiuvent — *organischer Zusammenhang* — (II, 10—IV, 5), sed etiam externe ita connexa sunt, ut fini suo convenientia totum corpus forment et constituant — *mechanischer Zusammenhang* — (IV, 6—14). In libro primo igitur (de quo quid Franc. Nicolaus Titze senserit, infra exponemus et refutabimus) Aristoteles docet, in investiganda natura causam — *τὴν αἰτίαν* — quaerendam esse et ex quatuor illis causis (phys. ausc. II, 3) eam praecipue, quam *τὸ οὗ ἕνεκα* vocat, quum in animantibus *τὸ τί ἦν εἶναι* in anima positum sit (c. 1). Deinde viam monstrat, qua animantia in genera dividenda sint, quum neque *διχοτομία* admitti possit neque *διαίρεσις εἰς τὰ ἄτομα*[14]) (c. 2 4); postremo denique capite mira

---

14) ita enim c. 3, pag. 642, b, 25 pro *εἰς τὰ ἄναιμα* legendum esse, quivis videt; Nicolaus Titze proposuit *εἰς τὰ ἀντικεί-*

quadam eloquentia eos impugnat, qui talia studia despiciant, et mox illuc revertens, unde abierat, iam in partibus animalium se illud *τὸ οὗ ἕνεκα* investigaturum indicat. In sequentibus libris semper lectorem ad historiam animalium reiicit, in qua materiem hoc ipso fine collegerat, ut nunc ea utens interiorem et eum necessarium nexum inde evincat. Primum probat, cur *ἀνομοιομερῆ* et *ὁμοιομερῆ* in corporibus animalium sint,[15]) *τὰ ὁμοιομερῆ* enim dicit tanquam *ὕλην τῶν ἀνομοιομερῶν* esse et ad illa sensus referri debere, ad haec autem actiones. Ad singula deinde *ὁμοιομερῆ* transiens docet, sanguinem ultimi nutrimenti causa in corpore esse (c. 2—4), adipem et sevum sanguinem esse quodammodo corruptum et concretum, sicut alia ratione medullam (c. 5 sq.) cerebrum capiti inesse,

---

μενα, verba autem statim sequentia (pag. 643, 8 et 12 et 16), quae genuina fuerit lectio, monstrant.

15) tres generationis modos esse dicit (pag. 646, 12—24) his verbis: *τριῶν δ' οὐσῶν τῶν συνθέσεων πρώτην μὲν ἄν τις θείη τὴν ἐκ τῶν καλουμένων ὑπό τινων στοιχείων οἷον γῆς ἀέρος ὕδατος πυρός· ἔτι δὲ βέλτιον ἴσως ἐκ τῶν δυνάμεων λέγειν... ὑγρὸν γὰρ καὶ ξηρὸν καὶ θερμὸν καὶ ψυχρὸν ὕλη τῶν συνθέτων σωμάτων ἐστί* (cf. d. gen. et corr. II, 3) . . . . *δευτέρα δὲ σύστασις ἐκ τῶν πρώτων ἡ τῶν ὁμοιομερῶν φύσις ἐν τοῖς ζῴοις ἐστὶν οἷον ὀστοῦ καὶ σαρκὸς καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων· τρίτη δὲ καὶ τελευταία κατ' ἀριθμὸν ἡ τῶν ἀνομοιομερῶν κ. τ. λ.* quibus verbis apertum mendum inest, quum primus et secundus generationis modus hac ratione non differrent, nam *ἡ ἐκ τῶν στοιχείων σύνθεσις* nulla alia est, quam ea *τῶν ὁμοιομερῶν*, quae constant ex elementis, prima autem generatio ea est *τῶν στοιχείων*, non ea *ἐκ τῶν στοιχείων*; eiiciendum igitur illud *ἐκ* ante *τῶν καλουμένων*.

ut calor cordis refrigeretur (c. 7), carnem tactus causa ex sanguine concrescere (c. 8), ossa autem, ut corpus fulciant (c. 9). Similiter etiam τὰ ἀνομοιομερῆ sui quaeque finis causa esse demonstrat; primum enim τὰ ἔναιμα perscrutans (II, 10 - IV, 4) caput iis sensibus, quorum sedes in cerebro sit, inservire dicit eiusque partes et ipsas cum iis cohaerere, quum palpebra et supercilia oculos tegant neque nares temere in medio ore positae sint et lingua gustui simul et sermoni inserviat, dentes autem, ubi dissecare debeant, acres, ubi conterere, hebetes sint, cornua denique ex eadem materie, ex qua ungulae, consistentia iis tantum animalibus a natura data, quae corporis robore se defendere debeant ac possint (II, 10—III, 2); cervicem autem dicit propter oesophagum et arteriam, quae longior esse debeat, insertam esse (III, 3), viscera denique (III, 3—IV, 4) ita inter se cohaerere, ut alia aliorum causa creata id efficiant, unde vita sustentetur et continuetur, praecipue vero ruminantibus multiplicia esse intestina (ut avibus ingluviem) propter dentium defectum, mesenterium autem ita comparatum, ut nutrimentum illud ultimum i. e. sanguinem ex intestinis imbibendo in cor transmittat, bilem denique impuri sanguinis excrementum esse. Deinde exsanguium omnia genera (IV, 5) iis partibus quum exterioribus tum interioribus instructa esse, quae cum eorum victu, habitandi locis, moribus, actionibus congruant, neque

ulli eorum *τὰ θρεπτικὰ μόρια* prorsus deesse. In postrema denique parte huius opusculi, in qua de exteriore partium vel potius membrorum nexu agit, Aristoteles prius de exsanguibus verba facit, ut his, quemadmodum ipse dicit[16]), de quibus modo (c. 5) dixerat, iam prorsus absolutis fusius deinde de ceteris loqui possit; docet itaque cur insecta modo binas modo quaternas alas, modo stimulum modo non habeant (c. 6), cur conchylia paucis membris instructa sint (c. 7), cur cancelli impares chelas (c. 8) et praecipue cur *τὰ μαλάκια* os et anum uno eodemque loco habeant (c. 9). Ad *τὰ ἔναιμα* deinde rediens explicat, cur singulae partes et singula membra sic disposita et coniuncta esse debeant, ut revera sunt, primum in quadrupedibus viviparis (quomodo manus aptissime constructae sint, cur homines cauda careant) (c. 10), deinde in quadrupedibus oviparis e. g. cur crocodilus superiorem maxillam moveat (c. 11), in avibus (c. 12), piscibus (c. 13), postremo in monstris maritimis – *τοῖς κητώδεσι* — (c. 14).

Apparet itaque, quatuor hos libros eo tantum consilio ab Aristotele scriptos esse, ut monstret, omnes animalibus partes p r o p t e r c e r t u m quen-

---

16) c. 5, pag. 682, 32 *ἀρκτέον δ'ἀπὸ τῶν νῦν εἰρημένων, ἀλλ οὐκ ἀφ' ὧν ἀπελίπομεν* (c. 4 s. fin.), *ὅπως ἀπὸ τούτων διατριβὴν ἐλάττω ἐχόντων ἐπὶ τῶν τελείων καὶ ἐναίμων ζῴων λόγος ἁρμόζῃ, σχολάζῃ δὲ μᾶλλον.*

dam finem τοῦ οὗ ἕνεκα, a natura datas esse in qua ipsum οὗ ἕνεκα investigandum sit.

Sequitur in editione Berolinensi liber de motu animalium — περὶ ζῴων κινήσεως — ingenii prorsus diversi ab iis, de quibus hucusque diximus; neque enim res tantum velut in historia animalium enarrantur e. g. quomodo diversa animalium genera moveantur, neque causae, cur propter victum vel mores vel habitandi locum ea ratione, qua moventur, moveri debeant, — sed universa animalium motus causa explicatur, et si in libris de partibus animalium ea causa, quam Aristoteles τὸ οὗ ἕνεκα vocat, ubique demonstrabatur argumentisque firmabatur, huius libelli prima iam verba (pag. 698, 7) indicant, eam causam, quam τὸ ὅθεν ἡ κίνησις vocat, in his quaeri; huc quoque ea spectant, quae (c. 2—5) de puncto exteriore quiescente disseruntur, quo ad quemvis motum opus sit; deinde Aristoteles docet, animam primam esse causam moventem, quae imaginatione et mente commota per syllogismum quendam ad actum impellatur non sine adiumento calidi et frigidi; primum autem motus ipsius initium in medio corpore fieri, quocum respiratio cohaereat; denique auctor de motibus quibusdam non voluntariis aut non spontaneis agit.

Eadem autem causa finalis, quam in libris de partibus animalium ubique ab Aristotele demonstrari vidimus (non autem in libello de motu), in

libro de incessu animalium rursus apparet; cap. 2. iam ipsa verba declarant, varias motus rationes explicandas esse, quia natura nil temere agat; ad corpus deinde Aristoteles tres spatii dimensiones refert et partes ad motum ita a natura creatas esse docet, ut *τὰ ἔναιμα* — quin angues — quatuor punctis moveantur (c. 3 - 7); c. 8 monstrat, cur par debeat esse pedum numerus, c. 9, quomodo membra ad progressum curventur, c. 10, quomodo aves quatuor punctis moveantur, c. 11, cur homo et aves erecti incedant, c. 14, cur animalia *κατὰ διάμετρον* moveantur, denique c. 15—19, quomodo pedes in singulis animalium generibus corpori adiuncti sint, ut omnia finem suum assequi possint.

Libri quoque de generatione animalium eo fine conscripti sunt, ut *τὸ οὗ ἕνεκα* partibus genitalibus, semini et menstruis, fetui, procreationi in esse probetur eadem prorsus ratione, qua in libris de part. anim.[17]) In libro primo Aristoteles

---

17) ex verbis (c. 1, pag. 715, 11) *λοιπὸν δὲ τῶν μὲν μορίων τὰ πρὸς τὴν γένεσιν συντελοῦντα τοῖς ζῴοις . . . περὶ αἰτίας δὲ τῆς κινούσης, τίς αὕτη* concludere non licet, etiam in his libris causam moventem (*ὅθεν ἡ κίνησις*) quemadmodum in libro de motu quaeri, quum nil aliud ea significent, quam hoc: *restat, ut eas partes, quae ad generationem pertinent et generationem ipsam examinemus i. e. causam moventem*, nam est generatio causa movens, neque causae moventis causa movens quaeritur, sed etiam in huius causae moventis i. e. generationis rationibus modisque causa finalis, *τὸ οὗ ἕνεκα* et *τὸ εὖ, τὸ τέλος*, investigatur.

de partibus primum genitalibus disserit et, cur hominibus testes sint, femininis vero animalibus uterus aliis aliter situs, monstrat (c. 1—12), porro, cur partes genitales etiam emittendo excremento inservire debeant (c. 13), cur exsanguia suo quaequae modo coeant (c. 14 - 16); deinde, quid sit semen, quid menstrua et quid ad fetum uterque sexus conferat, docet et contra aliorum opiniones probat (c. 17 23). Lib. II et III varia animalia examinat divisa in quinque genera: ea, quae perfectos pullos pariunt, ea, quae in utero ova, in lucem vero vivos pullos gignunt (cartilaginea), ea, quae perfecta ova gignunt (aves), ea, quae imperfecta (pisces), ea denique, quae vermiculos pariunt. Ita postquam docuit, cur sexus disiuncti sint (c. 1) et quomodo in omnibus fetus a masculo formetur (c. 2 sq.), ad singula transiens et primum de viviparis agens (II, 4 – 8) docet, cur utroque sexu ad procreandum fetum opus sit, deinde cor primum nasci debere in fetu nutririque ex placenta uterina per nervum umbilicarem, cur denique muli pullos procreare non possint, cetera vero animalia bigenera possint. De oviparis deinde agit primum monstrans, cur avium ova bicoloria sint et cur aves ovis incubent (III, 2 sq.), deinde quomodo pisces coeant et ova vel vivos pullos pariant — similiter de cancris et sepiis (c. 3—8), cur porro insecta, quae vermiculi gignantur, in chrysallidem mutentur, ubi de apibus

iterum agit (c. 9 sq.), cur denique conchylia ratione diversa pullos procreare possint quippe quae media sint inter plantas et cetera animalia (c. 11). Lib. IV fusius explicat, cur pullorum alii masculi alii feminini nascantur, et cur parentum modo utrique modo alteri modo neutri similes gignantur (c. 1 - 4), deinde cur maiora animalia minorem pullorum numerum pariant, minora vero maiorem (c. 4), porro quae perfectos pullos procreent et cur (c. 5 sq.), deinde de mola (c. 7), denique de lacte et graviditate (c. 8—10). In quinto libro diversa quidem ab his tractat, eadem vero ratione de causa finali inquirit, cur infantes primum dormiant et cur alii acri visu praediti sint, alii vero in longum prospicere possint (c. 1), similiter de auditu (c. 2), unde porro crinium colorisque diversitas oriatur (c. 3—6), unde vocis (c. 7), cur denique dentes cadant (c. 8).

Ex his omnibus itaque apparet, in libris de animalium historia materiem collectam et res omnes narratas esse — *τὸ ὅτι* —, quarum causae et *τὸ οὗ ἕνεκα* — *τὸ διότι* — in libris de partibus animalium, de incessu, de generatione, probentur, secus vero esse in libro de motu animamalium. Verum etiam ex Aristotelis verbis solemnibus ipsis hoc discrimen elucet, qui in historiis animalium in librorum vel capitum clausulis dicere soleat, *se hucusque monstrasse, quomodo partes vel mores vel generationes se habeant* (*πῶς ἔχουσι*

et similia), in ceteris vero libris praeter eum de motu semper, *causam se examinasse* (διὰ τί ἔχει et similia) [18]).

Iam antequam horum librorum ordinem constituendum argumentisque probandum aggrediamur, de tribus rebus pauca quaedam adhuc videntur esse praemittenda: primum de iis locis, quibus Aristoteles alios suorum ipsius librorum allegat, in universum dicendum est; ea deinde opinio refu-

18) hist. anim. I, 3, pag. 489, 15; 15, p. 494, 19; 16, p. 494, b, 19 et 496, 2; 17, p. 497, b, 1; II. 9, p. 502, b, 27; 14; p. 505, b, 23; III, 1, p. 509, 27; 4, p. 514, 28 et 515, 14; 5, p. 515, 27; 7, p. 516, 7; 8, p. 516, b, 30; 15, p. 519, b, 22; 19; p. 520, b, 10; IV, 1, p. 523, 31 et 525, 29; 2, p. 527, 34; 4, p. 527, b, 34; 6, p. 531, b, 18; 7, p. 532, b, 27; 8, p. 534, b, 11; 9, p. 535, 26; 11, p. 537, b, 21; V, 1, p. 538, b, 28 et 539, b, 15; 8, p. 542, 18; 15, p. 546, b, 14; 16, p. 549, 11; 20, p. 553, 12; VI, 1, p. 558, b, 8; 3, p. 561, 4; 10, p. 564, b, 13; 13, p. 567, 15; 16, p. 570, 23; 18, p. 571, b, 3; VII, 1, p. 581, 9; X, 2, p. 634, b, 27; VIII, 1, p. 588, 16; 2, p. 590, b, 32; 3, p. 592, 28; 13, p. 599, 4; 18, p. 601, 22; 21, p. 603, 29; 27, p. 605, b, 6; IX, 1, p. 610, 33; 8, p. 614, 29; 37, p. 620, b, 9; 40, p. 623, b, 4; 41, p. 627, b. 22; 42, p. 628, b, 31; 44, p. 629, b, 3; contra: d. part. an. I, 1, p. 640, 15 et 642, b, 3; II, 1, p. 646, 10 et 647, b, 8; 3, p. 650 b, 12; 4, p. 651, 18; 5, p. 651, b, 19; 14, p. 658, b, 12; 15, p. 658, b, 25; III, 5, p. 667, b, 13; 8, p. 671, 24; 10, p. 673, 32; IV, 3, p. 677, b, 11; 4, p. 678, 22; 11, p. 692, b, 2; 14, p. 697, b, 27; d. incess. an. 9, p. 708, b, 20; 14, p. 712, b, 24; 16, p. 713, b, 20; d. gener. an. I, 6, p. 717, b, 32; 12, p. 719, 28; 14, p. 720, b, 1; 15, p. 721, 1; II, 1, p. 732, 24; 2, p. 735, 27; 3, p. 736, 22; 4, p. 737, b, 10; 5, p. 741, 6; 7, p. 745, b, 22; III, 2, p. 752, 9; 3, p. 754, 23; 7, p. 757, 15; IV, 2, p. 766, b, 25; 3, p. 767, 36 et 769, 1; V, 1, p. 781, 13; 3, p. 784, 20; 4, p. 784, 23 et 785, 6; 5, p. 785, 8; 6, p. 786, b, 2; 8, p. 789, b, 17 et 20.

tanda, quam Franc. Nicolaus Titze de primo libro περὶ ζῴων μορίων in initio historiarum animalium ponendo protulit; denique ii loci, quibus αἱ ἀνατομαὶ ab Aristotele commemorantur vel allegantur, accuratius examinandi.

In investigando ordine librorum non minimi certe momenti ii loci sunt, quibus auctor alios libros sive exstantes sive deperditos allegat [19]). Quum permultos illorum locorum sibi invicem repugnare notissimum sit, alii omnes spurios et a librariis adscriptos iudicarunt, cui obstat, quod permultis locis verba ὥσπερ εἴρηται vel similia cum verbis antecedentibus vel sequentibus tam arcte cohaerent, ut integra non raro capita propter solos istos locos adscripta iudicare deberemus. Alii ea ratione eos defendere conabantur, ut dicerent, modo tempus, quo libri allegati scripti vel editi sint, modo locum respici, quem in systemate teneant, et Fridericus Adolphus Trendelenburg praesertim admonet (d. anim. pag. 115), saepius certe Aristotelem philosophiam discipulos docuisse et plus una vice singulos libros litteris mandasse; quod etiamsi in librorum genere prorsus inter se diversorum fieri possit e. g. inter physicos et ethicos libros, tamen in una plurium librorum systematis vinculo connexorum serie tale effugium concedi posse non videtur; Aristotelem enim tunc

---

19) Vid. *Ritter Gesch. d. Philos.* Vol. III, p. 20.

illos locos multo potius systemati quam temporis rationi accomodasse putaverimus. Videndum itaque erit, quomodo aut locos, qui repugnare videbantur reconciliemus aut, qui revera utique repugnant, firmis argumentis innixi eiiciamus vel corrigamus, facillime enim tales locos a librariis et iis doctissimis quibusque immutatos esse, quivis videt, — neque vero tamen tanta in iis lectionis varietas in codicibus reperitur, quantam hac de causa aliquis suspicetur. — Sunt vero tria talium locorum genera, quorum primum ii efficiunt, qui haud dubie alium librum aut antecessisse aut secuturum esse demonstrant verbis *εἴρηται πρότερον* vel *ὕστερον λεχθήσεται* et similibus, alterum genus est eorum locorum, qui ad alia lectorem reiicientes non distincte significant, utrum in antecedentibus an in sequentibus quaerendum sit, verbis *δεῖ θεωρεῖν* vel *ἑτέρων ἐστὶ λόγων* et similibus; his tanquam tertium genus accedunt clausulae singulorum librorum, quibus sequentia adnectuntur; has autem clausulas omnium facillime a librariis aut addi aut mutari potuisse, luce clarius apparet; quivis enim secundum ea, quae in sui codicis foliis proxima erant, eas composuit; et satis magna inde lectionis quoque varietas orta est: ita postrema libri quarti d. part. anim. verba *τούτων δὲ διωρισμένων ἐφεξῆς ἐστι τὰ περὶ τὰς γενέσεις αὐτῶν διελθεῖν* duo Bekkeri codices prorsus omittunt, vetus vero translatio pro „*generationibus*“ habet „*motu*“;

postrema vero libelli de motu verba λοιπὸν δὲ περὶ γενέσεως εἰπεῖν ipsa suspecta sunt, quum duo simul libri eos de gener. anim. antecedere non potuerint; in ultimis verbis libri d. inc. an. τούτων δὲ διωρισμένων ἐχόμενόν ἐστι θεωρῆσαι περὶ ψυχῆς pro ψυχῆς unus Bekkeri codex in textu lacunam habens in margine ζωῆς ponit; libri quinti vero d. gener. anim. postrema verba desunt, quum ad illud μὲν in verbis (pag. 789, b, 16) περὶ μὲν οὖν ὀδόντων κ. τ. λ. nullum δὲ sequatur, quo indicetur, quid nunc tractandum sit. Has itaque clausulas si prorsus non respiciemus, vix vituperabimur, et immerito vere Ioann. Theophilus Schneider Saxo Furlani sententiam sequens istis clausulis nimium tribuit[20]).

Iam, quae Nicolaus Titze de primo libro d. part. anim. dixit, accuratius nunc examinemus et falsa esse evincamus, eius enim opinioni aliquantum momenti accessisse videatur, quum I. Theophilus Schneider eam probaret,[21]), qua laude auctor plus nimis fretus occasione in libro de serie et ordine etc. oblata vehementissime in adversarios

---

20) hist. an. Vol. I, pag. CXVII: *verum meminisse oportet, hic, quod recte supra positum et demonstratum esse a Furlano videtur, ordinem librorum Aristotelicorum rectius e clausulis librorum perspici et iudicari, quam e locis singulis singulorum librorum, ubi obiter mentio fit argumenti in aliis libris tractati;* et iterum pag. CXX.

21) *Jahrb. d. Litter. v. M. v. Collin. Wien.* Vol. VII. 1819. pag. 177—197.

suos invehitur. Omnia vero eius argumenta irrita cadent, si probaverimus, primum librum d. part. anim. a ceteris dirimi non posse. Facile autem id evincemus, si meminerimus, quae de ceteris tribus libris supra diximus. Illi enim eo tantum fine conscripti nobis apparuerunt, ut demonstretur, partibus animalium earumque nexui et actionibus causam finalem — *τὸ οὗ ἕνεκα* — inhaerere; verum etiam ille primus liber aperte speciem prooemii prae se fert, quod in librum, in quo causae partium demonstrentur, lectorem inducat, iam enim pag. 639, b, 11 auctor de causa loquitur, cuius varios modos v. 14 explicat, et omnibus, quae sequuntur, verbis usque ad c. 2, pag. 642, b, 5 de causis tantum agit (postrema cap. 1 verba sunt: *ὁ μὲν οὖν τρόπος οὗτος ὁ τῆς μεθόδου καὶ περὶ ὧν δεῖ λαβεῖν τὰς αἰτίας, ταῦτα καὶ τοιαῦτά ἐστιν*); post varias autem dividendi rationes diiudicatas statim oratione ad causas revertente monstrat, causam finalem quantum maxime in natura elucere ibique *τὸ καλὸν* et *τὸ εὖ* esse, a quibus pag. 645, b, 14 transitum ad animalium partes parat, in quibus talis causa investigari debeat; postremis denique verbis priora complectitur: *τὰς δ' αἰτίας πειραθῶμεν εἰπεῖν περί τε τῶν κοινῶν καὶ τῶν ἰδίων ἀρξάμενοι, καθάπερ διωρίσαμεν, πρῶτον ἀπὸ τῶν πρώτων*, quibuscum arctissime prima libri sequentis verba cohaerent: *ἐκ τίνων μὲν οὖν μορίων καὶ πόσων συνέστηκεν ἕκαστον τῶν ζῴων, ἐν ταῖς ἱστο-*

ρίαις ταῖς περὶ αὐτῶν δεδήλωται σαφέστερον· δι' ἃς δ' αἰτίας ἕκαστον τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον, ἐπισκεπτέον νῦν κ. τ. λ. Quodsi hic liber prooemium omnium librorum historiam naturalem spectantium esset, non solum de partibus, sed etiam de generatione, de moribus, de sensibus animalium sermo esse deberet, neque solum de inquirenda causa finali, sed etiam de rebus et de observandis animalibus; quorum omnium nihil in illo libro reperire possumus, qui, ut iam diximus, prooemium est librorum, in quibus ita de partibus agitur, ut causa finalis quaeratur. Singulis itaque argumentis, quae Nicolaus Titze attulit, refutandis supersedere possumus; ac vix digna sunt, quibus immoremur (e. g. in postremis libri verbis aoristo πειραθῶμεν futuri significationem inesse autumat, ut post universam animalium historiam confectam id demum fieret, quod hoc loco promissum esset). — Accedit, quod iam secundo post Christum natum seculo historiam animalium eadem ratione, qua nunc, in libros distributam fuisse scimus; Gellius enim L. XIII, c. 7 ex sexto libro locum exscribit (*verba Aristotelis haec sunt ex libro de historia animalium sexto* · λέων δὲ ὅτι κ. τ. λ.), quem revera libr. VI, c. 31, pag. 579, 31 — b, 14 legimus.

Quod illos locos attinet, in quibus αἱ ἀνατομαὶ commemorantur, dubium videri potest, num ἀνατομαὶ libri scripti sint necne. Duplex certe huius vocabuli usus apud Aristotelem occurrit, ali-

quot enim locis nil aliud significare potest, quam dissecta animalia, in quibus aliquid observatum sit: d. part. an. IV, 2 contra Anaxagoram, qui dixerit, bilem morborum acutorum causam esse, id affert, quod (pag. 677, 8) οἷς ταῦτα συμβαίνει τὰ πάθη τῶν νόσων οὐκ ἔχουσι χολὴν, ἔν τε ταῖς ἀνατομαῖς ἂν ἐγίγνετο τοῦτο φανερόν i. e. *ea animalia, quae talibus morbis laborant, omnino bile carent, et etiam in dissectis animalibus bilis apparere debeat, si inerat* (animadvertenda in his etiam praepositio ἐν, quum alibi ἐκ sit); de libro scripto itaque non cogitandum; d. gener. an. IV, 1 Aristoteles iis, qui dixerant, ex uteri regione, in qua fetus positus sit, pendere, num masculus an femininus nascatur, obstare dicit (pag. 764, 33), quod ἔτι καὶ γίνεται δίδυμα θῆλυ καὶ ἄῤῥεν ἅμα ἐν τῷ αὐτῷ πολλάκις τῆς ὑστέρας· καὶ τοῦθ' ἱκανῶς τεθεωρήκαμεν ἐκ τῶν ἀνατομῶν ἐν πᾶσι τοῖς ζῳοτοκουμένοις καὶ ἐν τοῖς πεζοῖς καὶ ἐν τοῖς ἰχθύσι i. e. *saepe in dissectis animalibus geminos pullos in eadem uteri parte visos esse*; similiter d. gener. an. V, 1 narratur, *pullos in utero dormientes in dissectis animalibus expergiscentes saepius visos esse* (pag. 779, 8): ἀλλ' ὅμως ἐγειρόμενα φαίνεται καὶ ἐν τῇ μήτρᾳ. δῆλον δὲ γίνεται τοῦτο ἐν ταῖς ἀνατομαῖς καὶ ἐν τοῖς ᾠοτοκοῦσιν· ita ibid. IV, 4 (pag. 771, b, 32) Arist. narrat, *in uteris eorum animalium, quae plures simul pullos pariant, hos ex ordine iacere* (ἐν δὲ τοῖς πολυτόκοις,

ὅταν πληρωθῇ τῶν ἐμβρύων, ἐφεξῆς κείμενα φαίνεται · τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τῶν ἀνατομῶν ἐστι; ibid. II, 7 (pag. 746, 22) dicit, *pullos in utero membranula circumdatos esse idque facile in dissectis apparere* (*θεωρῆσαι τοῦτο ῥᾴδιον διὰ τῶν ἀνατομῶν*). Si igitur his locis de libris scriptis cogitari non potest, aliis aperte tales allegantur, quos figuris exstructos fuisse vel potius ex figuris maximam partem constitisse facile colligas; hist. anim. I, 17 Arist. dicit (pag. 497, 32); . . . *ταῖς ὑστέραις, ὧν ἡ μὲν ὄψις θεωρείσθω ἐκ τῆς διαγραφῆς τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς*, et ibid. IV, 1 pag. 525, 8 de sepiarum intestinis: *ἕκαστα τούτων ὡς κεῖται τῶν μορίων, θεωρείσθω ἐκ τῆς ἐν ταῖς ἀνατομαῖς διαγραφῆς*, et VI, 11 pag. 566, 13 de piscium genitalibus: *θεωρείσθωσαν οἱ τῶν ἀῤῥένων πόροι ὡς ἔχουσιν ἐκ τῶν ἐν ταῖς ἀνατομαῖς διαγεγραμμένων*; his locis ii proxime accedunt, quibus *ἀνατομαὶ* coniunctim cum historia animalium ita allegantur, ut ex illis aspectu doceamur, ex hac vero accuratam enarrationem petamus: d. respir. c. 16, p. 478, 35 *ὡς ἡ θέσις ἔχει τῆς καρδίας πρὸς τὰ βράγχια πρὸς μὲν τὴν ὄψιν ἐκ τῶν ἀνατομῶν δεῖ θεωρεῖν, πρὸς δὲ ἀκρίβειαν ἐκ τῶν ἱστοριῶν*, — d. part. anim. IV, 5, pag. 680, 1 *ὃν τρόπον ἔχει τούτων ἕκαστον* (i. e. *στόμα καὶ κοιλία καὶ περιττώματος ἔξοδος τῶν ὀστρακοδέρμων*), *ἔκ τε τῶν ἱστοριῶν τῶν περὶ τὰ ζῷα θεωρείσθω καὶ τῶν ἀνατομῶν · τὰ μὲν γὰρ τῷ λόγῳ τὰ δὲ πρὸς τὴν ὄψιν αὐτῶν*

σαφηνίζειν δεῖ μᾶλλον, — coniunctim porro cum historia anim. ἀνατομαὶ allegantur: d. respir. c. 16, p. 478, 27; d. part. an. III, 5, p. 668, b, 29; ibid. III, 14, p. 674, b. 16; ibid. IV, 8, p. 684, b, 4; IV, 10, p. 689, 18; 13, p. 696, b, 4; d. gener. anim. I, 11, p. 719, 10; II, 4, p. 740, 23; 7, p. 746, 14; hist. anim. III, 1, p. 509, b, 22; — solae ἀνατομαὶ ad maiorem perspicuitatem allegantur his locis: d. somn. c. 3, p. 456, b, 2; d. respir. c. 8, p. 474, b, 9; d. spir. c. 5, p. 483, b, 24; hist. anim. III, 1, p. 511, 13; IV, 4, p. 529, b, 19 et 530, 30; VI, 10, p. 565, 12; d. part. an. III, 4, p. 666, 8 [22]); d. gener. anim. II, 7, p. 746, 22; — quibus omnibus locis nil saltem impedit, quin libros figuris adornatos agnoscamus; hos autem libros cum historia animalium arcte cohaesisse, facile apparet. Diogenem octo libros ἀνατομῶν in catalogo commemorare, notum est.

De ipso igitur librorum ordine et nexu quid opinemur, in medium nunc proferamus.

Quin libri historiarum animalium eos de partibus, de incessu, de generatione antecedere debeant, haud dubium est, quum in illis disputationis, quae in ceteris sequitur, materies conti-

---

22) h. l. verba καὶ ἐκ τῶν γενέσεων non ad libros quosdam referenda sunt; αἱ γενέσεις enim generationes sunt i. e. ea, quae in partu et pullis modo natis apparent (ut etiam nos dicimus „*Geburten*").

neatur. Ex iis, quae liber de motu complectitur, hac ratione nihil de eius loco concludi potest; at quum posterior saltem libro de incessu esse debeat (qua de re iam infra exponemus), etiam hunc historiae antecedent; libros *ἀνατομῶν* vero tanquam necessarium supplementum cum historiis coniunctos fuisse, modo probavimus; etiam hi igitur ceteris priores erunt. Cum hoc quem diximus ordine omnes loci congruunt, quibus libri invicem citantur: hist. an. I, 5, pag. 459, b, 17 [d. gener. an. III, 2 et 9][23]; ibid. III, 17, p. 523, 14 [d. gen. an. I, 21 sq.]; d. part. an. II, 1, p. 646, 9 [hist. an. I, 7 — IV, 7]; ibid. II, 3, p. 650, 31 [hist. an. III, 3 sq.]; ibid. II, 17, p. 660, b, 2 [hist. an. II, 12, p. 504, b, 1]; ibid. III, 4, p. 666, b, 11 [hist. an. II, 17, p. 507, 2]; ibid. III, 5, p. 668, b, 29 [hist. an. III, 3]; ibid. III, 10, p. 673, 31 [hist. an. IV, 7, p. 531, b, 30]; ibid. III, 14, p. 674, b, 16 [hist. an. II. 17, p. 507, 35]; ibid. IV, 5, p. 679, b, 30 [hist. an. IV, 5]; ibid. IV, 5, p. 682, 2 [hist. an. IV, 7, p. 531, b, 30]; ibid. IV, 8, p. 684, b, 4 [hist. an. IV, 2]; ibid. IV, 10, p. 689, 18 [hist. an. III, 1]; ibid. IV, 13, p. 696, b, 14 [hist. an. II, 13, p. 505, 9]; d. inc. anim. c. 1, p. 704, b, 10 [hist. an. I, 1 et 5]; d. gener. an. I, 3, p. 716. 31 [hist. an.

23) his uncinis [ ] locum allegatum, sive antecedentem sive subsequentem, loco alleganti adiiciemus.

III, 1]; ibid. I, 4, p. 717, 33 [hist. an. III, 1]; ibid. I, 11, p. 719, 10 [hist. an. V et VI]; ibid I, 18, p. 723, b, 22 [hist. an. V, 9, p. 542, 1]' ibid. I, 19, p. 726, b, 34 [hist. an. IV, 11 et IX, 1] ibid. I, 20. p. 728, b, 13 [hist. an. VI, 17—37); ibid. II. 1, p. 732, b, 14 [hist. an. V, 19]; ibid. II, 4, p. 740, 23 [hist. an. III, 2 4]; ibid. II, 7, 746, 14 [hist. an. VIII, 7]; ibid. III, 1, p. 750, b, 31 [hist. an. IV, 11 et VI, 13]; ibid. III, 2, p. 753, b, 17 [hist. an. VI, 2]; ibid. III, 8, p. 758, 24 [hist. an. V, 18].

Num autem historiam animalium libri de partibus, de motu, de incessu, de generatione proxime sequantur, infra demum diiudicari poterit; nunc enim videndum, quomodo hi ipsi inter se cohaereant.

Post libros de partibus eos de generatione statim sequi, Aristoteles ipse satis dilucide indicat, non tam ultimis postremi de partibus libri verbis (clausulis enim non multum tribuendum esse, supra monstravimus), quam initio libri primi de generatione; ibi enim est: *ἐπεὶ δὲ περὶ τῶν ἄλλων μορίων εἴρηται τῶν ἐν τοῖς ζῴοις καὶ κοινῇ καὶ καθ' ἕκαστον γένος περὶ τῶν ἰδίων χωρὶς, τίνα τρόπον διὰ τὴν τοιαύτην αἰτίαν ἐστὶν ἕκαστον, λέγω δὲ ταύτην τὴν ἕνεκά του . . . . περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων εἴρηται, . . . λοιπὸν δὲ τῶν μὲν μορίων τὰ πρὸς τὴν γένεσιν συντελοῦντα τοῖς ζῴοις, περὶ ὧν οὐδὲν διώρισται πρότερον, περὶ αἰτίας δὲ*

τῆς κινούσης τίς αὕτη · τὸ δὲ περὶ ταύτης σκοπεῖν καὶ τὸ περὶ τῆς γενέσεως τῆς ἑκάστου τρόπον τινὰ ταὐτόν ἐστι · διόπερ ὁ λόγος εἰς ἓν συνήγαγε τῶν μὲν περὶ τὰ μόρια τελευταῖα ταῦτα, τῶν δὲ περὶ γενέσεως τὴν ἀρχὴν ἐχομένην τούτων τάξας. In his ad libros de partibus tanquam ad antecedentes respici, quivis videt; verum etiam proxime illi antecesserunt, si enim alia interposita fuissent, certe non simplici illo *εἴρηται* (v. 1 et 8) Aristoteles usus esset, quod eadem ratione iis tantum locis positum occurrit, ubi res modo enarratae in unum brevem conspectum colliguntur et statim inde ad alias cum ipsis cohaerentes transitur[24]; etiam verba (v. 7) *περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων εἴρηται κ. τ. λ.* ad eum locum de partibus an. respiciunt ex eoque tanquam nectuntur, ubi (IV, 4, p. 678, 22 – 26) quaestio de genitalibus ad libros peculiares differebatur; et dicit auctor, *adhuc superesse, ut de illis partibus, quae ad generationem pertineant, et de generatione ipsa agat*, quam recte causam moventem nominat, *indeque factum esse, ut ratio*

---

24) ita: hist. an. II, 14, p. 505, b, 23; III, 1, p. 509, 27; IV, 1, p. 523, 33 et 525, 29; 6, p. 531, b, 20; V, 1, p. 539, 1; VI, 18, p. 571, b, 4; VIII, 18, p. 601, 23; d. part. an. II, 1, p. 647, b, 8; 5, p. 651, b, 19; III, 10, p. 673, 32; IV, 3, p. 677, b, 12; 4, p. 678, 22; 11, p. 692, b, 2; 14, p. 697, b, 28; d. inc. an. 9, p. 708, b, 20; d. gen. an. I, 6. p. 717, b, 32; 12, p. 719, 30; 14, p. 720, b, 1; II, 1, p, 723, 25; 2, p. 735, 28; 7, p. 745, b, 21; III, 2, p. 752, 10; IV, 2, p. 766, b, 28; V, 3, p. 784, 22; 4, p. 785, 6; 8, p. 789, b, 17.

— ὁ λόγος — *quaestionem de postremis partibus et eam de prima generationis causa in unum coniunxerit;* quae verba manifeste monstrant, libros de partibus et eos de generatione per quaestionem de genitalibus coniunctos separari non posse. In historia animalium inter has duas partes ea, quae (IV, 8—11) de sensu dicta sunt, inserebantur; ita tamen, ut ad antecedentia magis inclinarent, quam ad sequentia; in libris autem de partibus illa simul cum partibus ipsis examinabantur. Sic in universum historias animalium in libris sequentibus iterum agnoscimus. Librum de partibus eo de generatione priorem esse, praeter necessarium sensus contextum etiam hi loci probant: d. part. anim. II, 7, p. 653, b, 16 [d. gen. an. I, 17 sq. et IV, 8]; ibid. IV, 5, p. 678, 25 [d. gen. an. I, 2—16]; ibid. IV, 10, p. 689, 10 [d. gen. an. I, 18]; ibid. IV, 11, p. 692, 15 [d. gen. an. III, 2]; ibid. IV, 12, p, 693, b, 25 [d. gen. an. III, 2]; ibid. IV, 12, p. 695, 27 [d. gen. an. I, 12]; d. gen. an. I, 15, p. 720, b, 20 [d. part. an. IV, 9, p. 685, 9]; ibid. I, 19, p. 726, b, 2 [d. part. an. II, 3]; ibid. IV, 1, p. 765, b, 8 [d. part. an. I — IV]; ibid. V, 3, p. 782, 21 [d. part. an. II, 14]; ibid. V, 8, p. 788, b, 6 [d. part. an. III. 1, p. 661, b, 5].

Summam vero difficultatem liber de incessu animalium movet, prorsus eadem enim ratione in eo de iis partibus, quae motum attineant, qua in

libris d. part. et d. gener. de ceteris partibus, agi, supra vidimus; nullo itaque modo a libris d. part. separari potest. Optime omnia procederent, si post quartum librum de partibus tanquam quintus inseri posset (arcta enim illa coniunctio inter libros d. part. et eos d. gener. inde non dirimeretur, quia in libro de incessu et ipso de partibus tantum agitur); — sed illud quominus fieri possit, tres obstant loci in quarto d. part. libro, quibus ad librum de incessu tanquam antecedentem, in quo copiosius quaestio tractata sit, reiicimur: c. 11, p. 690, b, 15 *ἡ αἰτία τῆς ἀποδίας αὐτῶν* (sc. *τῶν ὄφεων*) *εἴρηται ἐν τοῖς περὶ τῆς πορείας τῶν ζῴων διωρισμένοις* [d. inc. an. c. 7]; ibid. p. 692, 17 *περὶ τῆς τῶν καμπύλων κάμψεως ἐπέσκεπται πρότερον ἐν τοῖς περὶ πορείας κοινῆς πᾶσιν* [d. inc. an. c. 15, p. 730, 17—25]; c. 13, p. 696, 11 *τὸ αἴτιον ἐν τοῖς περὶ πορείας καὶ κινήσεως τῶν ζῴων εἴρηται*[25]) [d. inc. an. c. 8, p. 708, 18]; — nec solum his verbis, quae spuria aliquis declarare conetur, ad illum librum relegamur, sed tota etiam inquirendi ratio rem iam antea fusius tractatam esse prodit; nam a capite decimo inde (libri quarti) Aristoteles brevi quadam adumbra-

25) ex verbis *πορείας καὶ κινήσεως* nil amplius concludendum, nam partes ad incessum pertinentes eaedem etiam ad motum pertinent, et Arist. ipse primis statim verbis his utitur: *περὶ τῶν χρησίμων τοῖς ζῴοις πρὸς τὴν κίνησιν τὴν κατὰ τόπον κ. τ. λ.*

tione fere propere docet, quomodo membra exteriore nexu cohaereant, utque initio cap. 10 aperte ea, quae II, 12 — III, 3 enarraverat, respicit, ita, ubi de membris ad motum pertinentibus agit, librum de incessu. Neque vero ante libros d. part. poni potest; primus enim, qui necessario cum ceteris cohaeret, quaestionis philosophicae initium continet, qua animalium partibus causam finalem inesse argumentis probetur. His difficultatibus novam addit locus quidam libri d. incess. ipsius, quo (c. 5, p. 706, b, 2) ad locum d. part. IV, 9 p. 685, 10 reiicimur; ibi Aristoteles demonstrat, pedum dispositionem in animalium corporibus ex ea ratione pendere, qua spatii dimensiones in iis expressae atque separatae sint aut non: *οἷς μὲν οὖν τὸ ἄνω καὶ τὸ ἔμπροσθεν διώρισται καθάπερ τοῖς ἀνθρώποις καὶ τοῖς ὄρνισι, ταῦτα μὲν δίποδα, ... ὅσα δὲ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὸ πρόσθεν ἔχει καὶ τὸ ἄνω, τετράποδα καὶ πολύποδα καὶ ἄποδα ...., ἔνια δὲ ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἔχει καὶ τὸ ὀπίσθιον καὶ τὸ πρόσθιον οἷον τά τε μαλάκια καὶ τὰ στρομβώδη τῶν ὀστρακοδέρμων · εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν πρότερον ἐν ἑτέροις.* Dicat quidem aliquis, locum hist. an. IV, 2 allegari, ubi multis verbis de istis animalibus actum sit, sed etiamsi ibi monstretur, ea os et anum uno eodemque loco habere, nulla tamen spatii dimensionum mentio ibi iniecta est, nedum probetur, cur tale habeant corpus, at iisdem fere verbis d. part, an. IV, 9, pag. 684, b, 22 — 685, 11 haec

scripta sunt: *ἀμφοτέρων* (sc. *τῶν ἐναίμων καὶ τῶν ἀναίμων*) *γὰρ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον ἡ φύσις ὥσπερ τις νοήσειεν ἐπ' εὐθείας, καθάπερ συμβέβηκεν ἐπὶ τῶν τετραπόδων ζῴων καὶ τῶν ἀνθρώπων· πρῶτον μὲν ἐπὶ ἄκρῳ τῷ ἄνω στόματι τῆς εὐθείας κατὰ τὸ α· ἔπειτα τὸ β τὸν στόμαχον, τὸ δὲ γ τὴν κοιλίαν· ἀπὸ δὲ τοῦ ἐντέρου μέχρι τῆς διεξόδου τοῦ περιττώματος ᾗ τὸ δ. τοῦτον μὲν οὖν τὸν τρόπον ἔχει τοῖς ἐναίμοις ζῴοις· καὶ περὶ τοῦτό ἐστιν ἡ κεφαλὴ καὶ ὁ θώραξ καλούμενος . . . . τὰ δὲ μαλάκιά τε καὶ στρομβώδη τῶν ὀστρακοδέρμων ἔχει αὐτοῖς μὲν παραπλησίως ἐκείνοις δ' ἀντεστραμμένως· κέκαμπται γὰρ ἡ τελευτὴ πρὸς τὴν ἀρχήν, ὥσπερ ἂν εἴ τις τὴν εὐθεῖαν ἐφ' ἧς τὸ ε κάμψας προσαγάγοι τὸ δ πρὸς τὸ α· οὕτως γὰρ κειμένων νῦν τῶν ὀπισθίων περίκειται τοῖς μὲν μαλακίοις τὸ κύτος ὃ καλεῖται μόνον ἐπὶ τῶν πολυπόδων κεφαλή, τοῖς δ' ὀστρακοδέρμοις τὸ τοτοῦτόν ἐστιν ὁ στρόμβος . . . . καὶ διὰ τοῦτο τὸ περίττωμα τοῖς τε μαλακίοις ἐξέρχεται περὶ τὸ στόμα καὶ τοῖς στρομβώδεσι.* Idem liber itaque alios quum antecedere tum sequi deberet et neutrum tamen potest, — sed quid multa? Liber de incessu fortasse intra nonum et decimum caput libri quarti d. part. anim. inserendus est; tunc demum omnia optime cohaerent; post *τὰ ὁμοιομερῆ* enim Aristoteles interiorem (*organicum*) contextum *τῶν ἀνομοιομερῶν* demonstrans animalia exsanguia in fine posuit; iam vero ad exteriorem (*mechani-*

cum) nexum transeundum erat, qui motus causa potissimum natura ita constitutus est; de motu itaque prius dicendum et tunc demum omnium rerum, quarum interior et exterior cum sensibus actionibusque coniunctio demonstrata erat, complexus denuo paucis verbis adumbrandus fuerat. Ab hoc vero ordine Aristoteles ita recessit, ut animalium exsanguium, de quorum partibus interioribus modo egerat, exteriorem quoque conditionem statim describeret (IV, 6—9), ne longiore intervallo ea dirimeret, quae semel uno tenore explicari possent, praesertim quum de exteriore illorum habitu perpauca essent dicenda; atque auctor ipse, quod ab eo ordine recedat, se excusatum esse vult dicens: (c. 5, p. 687, 30) *ἐπεὶ δὲ περὶ τῶν ἐντὸς ὑπαρχόντων τοῖς ζῴοις μορίων εἴρηται, πάλιν περὶ τῶν λοιπῶν τῶν ἐκτὸς ἐπανιτέον· ἀρκτέον δ'ἀπὸ τῶν νῦν εἰρημένων, ἀλλ' οὐχ ἀφ'ὧν ἀπελίπομεν*[26]), *ὅπως ἀπὸ τούτων διατριβὴν ἐλάττω ἐχόντων ἐπὶ τῶν τελείων καὶ ἐναίμων ζῴων ὁ λόγος ἁρμόζῃ σχολάζῃ δὲ μᾶλλον*, etc. 10, pag. 685, b, 30: *πάλιν δ'ἐξ ὑπαρχῆς περὶ τῶν ἐναίμων καὶ ζῳοτόκων ἐπισκεπτέον, ἀρξαμένοις ἀπὸ τῶν ὑπολοίπων καὶ πρότερον εἰρημένων μορίων, τούτων δὲ διορισθέντων περὶ τῶν ἐναίμων καὶ ᾠοτόκων τὸν αὐτὸν τρόπον ἐροῦμεν* — qualibus verbis non opus erat, nisi longius inter-

---

26) III, 3 de cervice sermo est, ut sequi debeat, quemadmodum sequitur, τὸ κύτος c. 4—IV, 5; necessario deinde de membris dicendum erat.

vallum intercessisset. Illa autem omnia, quae cuilibet antea dispositioni obstare videbantur, nunc reconciliata sunt. Clausulam libri de incessu, quae repugnat, non curandam esse, supra monuimus. Ne quis offendatur, quod nunc illius loci (c. 5, pag. 706, b, 2) verba *εἴρηται δὲ περὶ αὐτῶν πρότερον ἐν ἑτέροις* ad locum eiusdem libri referri debeant, huius rei plura apud Aristotelem exempla occurrunt[27]. Ceterum c. 1, pag. 704, b, 10 citatur hist. an. I, 1 et 5; de illo loco d. coel. II, 3, pag. 284, b, 13, ubi liber de incessu tanquam praecedens citatur, infra dicemus; allegatur autem hic totus liber in libro d. mot. c. 1, pag. 698, 3.

Restat adhuc liber de motu animalium, quem prorsus diverso a ceteris consilio scriptum esse supra monstravimus. Posteriore eum certe loco, quam libros de anima et eum de incessu ponendum esse, quum ex sensu tum ex singulis locis apparet, c. 6, p. 700, b, 5 [d. anim. I, 2 sq. et III, 9—11]; ibid. v. 21 [d. anim. III, 3]; d. somn. c. 2, p. 456, 10 [d. mot. an. c. 9 sq.); d. mot. an. c. 1, p. 698, 3 [d. incess. anim.]; citantur etiam physicae auscultationes c. 1, p, 698, 9 [phys. ausc. VIII, 5]; c. 4, p. 703, 21 [phys.

27) hist. an. IV, 6, p. 531, 28 verba *ὥσπερ ἐλέχθη πρότερον ἐν τοῖς ἄλλοις* respiciunt ad c. 4, p. 528, 20; ibid. IX, 28, p. 618, 8 *ὥσπερ εἴρηται ἐν ἑτέροις* ad VI, 7, p. 563, b, 20; phys. ausc. III, 1, p. 201, 26 *ἐξ ἄλλων ἔσται δῆλον* ad VIII, 5, p. 258, b, 8.

ausc. VIII, 8]; c. 5, p. 703, 29 [phys. ausc. VIII, 6]; de clausula, secundum quam libros d. gener. antecedere deberet, supra diximus. Quo vero loco ponendum arbitremur, infra demum monstrare poterimus.

Nunc, quomodo libri de anima et parva, quae vocant, naturalia cum his cohaereant, inquiramus; inter se haec ita coniuncta esse, ut libri de anima antecedant, cetera sequantur, non solum ex sensu manifestissimum est, sed etiam tot locis confirmatur [28]), ut nemo unquam dubitaverit. Parvorum naturalium is ordo, quem Bekkerus secutus est, omnino servandus videtur; non solum enim ea verba, quibus alia pars ad aliam adnectitur, tam arcte cum ceteris ubique cohaerent, ut vix aliquid mutari possit, sed etiam logico vere contextu singuli libelli inter se iuncti sunt, si quidem ea omnia in his libris enarrari debent, quae ex

---

28) d. anim. III, 9, p. 432, b, 12 [d. respir. et d. somn.]; d. sens. 1, p. 436, b, 10 [d. anim. II, 5—III, 2 et III, 12]; ibid. v, 14 [d. anim. III, 12]; ibid. 437, 18 [d. an. II, 7—11]; ibid. 2, p. 438, b, 3 [d. an. II, 7]; ibid. 3, p. 439, 8 [d. an. II, 7—11]; ibid v. 16 [d. an. III, 2 p. 425, b, 26]; ibid. v. 18 [d. an. II, 7, p. 418, b, 11]; d. memor. 1, p. 449. b, 30 [d. an. III, 3]; d. somn. 1, p. 454. 12 [d. an. II, 2, p. 413, 31]; ibid. 2, p. 455, 8 [d. an. III, 12]; ibid. v. 24 [d. an. III, 2 et 12]; ibid. p. 456, 2 [d. an. III, 9 sq.]; d. insomn. 1, p. 459, 15 [d. an. III, 3]; d. long. et brev. vit. 6, p. 467, 18 [d. an. I, 4, p. 409, 9 et 5, p. 411, b, 19]; d. iuv. et sen. 1, p. 467, b, 13 [d. an. II, 1, p. 412, 17], d. respir. 7, p. 473, 27 [d. an. II, 9]; ibid. 8, p. 474, b, 11 [d. an. II, 2].

coniunctione animae cum corpore sequantur (*κοινὰ τῆς ψυχῆς ὄντα καὶ τοῦ σώματος* d. sens. 1, p. 436, 8); absoluta itaque de sensibus [29]) doctrina in libello *περὶ μνήμης καὶ ἀναμνήσεως* auctor docet, quid sensus in animum revocati vel sensuum imagines efficiant; deinde hanc animae cum corpore coniunctionem non solum servari illa recreatione, quam somnus afferat (ubi pauca de insomniis occasione oblata addit), sed etiam (*περὶ μακροβ. κ. βραχυβ.*) contrariis illis, quae in quovis corpore sint, postremo conteri atque perdi; omnem autem vim animalem (*περὶ νεοτ. κ. γηρ.* et *περὶ ζωῆς κ. θαν.*) in calore vitali positam esse, qui (*περὶ ἀναπν.*) perpetua refrigeratione, dum spiramus, servetur. De libro *περὶ πνεύματος* infra dicemus. — Unus autem liber deperditus est de aegritudine et valetudine — *περὶ νόσου καὶ ὑγιείας* —, qui promittitur d. sens. c. 1, p. 436, 17 verbis: *φυσικοῦ δὲ καὶ περὶ ὑγιείας καὶ νόσου τὰς πρώτας ἰδεῖν ἀρχάς* et d. long. et brev. vit. c.

---

29) d. sens. 4, p. 440, b, 27 quaestio de sono ad libros de anima reiicitur; sed etiam de ceteris in libro II d. anim. iam tractatis sensibus iterum in libro de sensu disputatur, nec aliter ea, quae de sono dicta erant, se habent, quam quae de ceteris; lacunam qui senserunt librarii, illa verba adscripserunt, ne quid deesse putetur; libellus *περὶ ἀκουστῶν* ea, quae exciderunt, certe non continet; illius enim auctor nil de sensu dicit, sed de rebus sonantibus eorumque differentiis, quatenus ex earum compositione pendeant.

1, p. 464, b, 31 *περὶ δὲ ζωῆς καὶ θανάτου λεκτέον ὕστερον, ὁμοίως δὲ καὶ περὶ νόσου καὶ ὑγείας ὅσον ἐπιβάλλει τῇ φυσικῇ φιλοσοφίᾳ.* Postrema verba libelli de respiratione (c. 21, pag. 480, b, 23) iam transitum continent ad libros de aegritudine: *καὶ περὶ μὲν οὖν ζωῆς καὶ θανάτου καὶ τῶν συγγενῶν ταύτης τῆς σκέψεως σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων, περὶ δὲ ὑγιείας καὶ νόσου οὐ μόνον ἐστὶν ἰατροῦ, ἀλλὰ καὶ φυσικοῦ μέχρι του τὰς αἰτίας εἰπεῖν.* D. part. anim. II, 7, p. 653, 8 ille liber ita citatur, ut ambiguum sit, utrum tanquam antecedens an subsequens (*ἐν ταῖς τῶν νόσων ἀρχαῖς ἁρμόττει λέγειν, ἐφ' ὅσον τῆς φυσικῆς φιλοσοφίας ἐστὶν εἰπεῖν περὶ αὐτῶν*). Parvis naturalibus igitur librum *περὶ νόσου καὶ ὑγείας* fuisse adiunctum putamus.

Ante libros de partibus animalium libros de anima cum parvis naturalibus poni debere, ex divisione illa in *θρεπτικὴν, αἰσθητικὴν, νοητικὴν ψυχὴν* concludere possumus, quae animae partes ita animantibus distributae sint, ut *θρεπτικὴν* solum plantae, *θρεπτικὴν* et *αἰσθητικὴν* animalia, *θρεπτικὴν* vero et *αἰσθητικὴν* et *νοητικὴν* homo solus habeat; de ea igitur anima, quae tres illos gradus contineat, Aristoteles primum egit in libris de anima, in parvis vero naturalibus de ea, quae *θρεπτικὴν* et *αἰσθητικὴν* tantum complectatur i. e. de hominum et animalium quasi coniuncta anima, ita vero, ut a sublimioribus ad humiliora descen-

derit, quemadmodum ipse dicit d. sens. c. 1 init. *ἐπεὶ δὲ περὶ ψυχῆς καθ' αὑτὴν διώρισται πρότερον, καὶ περὶ τῶν δυνάμεων ἑκάστης κατὰ μόριον αὐτῆς, ἐχόμενόν ἐστι ποιήσασθαι τὴν ἐπίσκεψιν περὶ τῶν ζῴων καὶ τῶν ζωὴν ἐχόντων ἁπάντων, τίνες εἰσὶν ἴδιαι καὶ τίνες κοιναὶ πράξεις αὐτῶν· τὰ μὲν οὖν εἰρημένα περὶ ψυχῆς ὑποκείσθω, περὶ δὲ τῶν λοιπῶν λέγωμεν καὶ πρῶτον περὶ τῶν πρώτων.* Eorum deinde i. e. hominum et animalium, de quorum anima exposuit, ad humiliora semper descendens iam corpus vel potius corporis partes philosophice examinat.

Atque hac ratione exordia libri primi de anima et libri primi de partibus sibi videntur respondere, in quorum altero auctor dicit: *Τῶν καλῶν καὶ τιμίων τὴν εἴδησιν ὑπολαμβάνοντες, μᾶλλον δ' ἑτέραν ἑτέρας ἢ κατὰ ἀκρίβειαν ἢ τῷ βελτιόνων τε καὶ θαυμασιωτέρων εἶναι, δι' ἀμφότερα ταῦτα τὴν τῆς ψυχῆς ἱστορίαν εὐλόγως ἂν ἐν πρώτοις τιθείημεν· δοκεῖ δὲ καὶ πρὸς ἀλήθειαν ἅπασαν ἡ γνῶσις αὐτῆς μεγάλα συμβάλλεσθαι, μάλιστα δὲ πρὸς τὴν φύσιν, ἔστι γὰρ οἷον ἀρχὴ τῶν ζῴων,* — in altero autem: *περὶ πᾶσαν θεωρίαν καὶ μέθοδον ὁμοίως ταπεινοτέραν τε καὶ τιμιωτέραν δύο φαίνονται τρόποι τῆς ἕξεως εἶναι· ὧν τὴν μὲν ἐπιστήμην τοῦ πράγματος καλῶς ἔχει προσαγορεύειν, τὴν δ' οἷον παιδείαν τινά,* — quocum sensus totius libri primi cohaeret, in quo legimus, etiam humiliorem rerum scientiam sublimem fieri, si causam finalem in iis animadverterimus, neque despicien-

dam esse singularum corporis partium notitiam philosophicam (c. 5). Iam igitur, si libri historiarum animalium materiem et res continentes eos de partibus antecesserunt, omnino etiam iis de anima et parvis naturalibus priores erunt, ita ut libri de anima et parva naturalia historias sequantur, libros de partibus autem et ceteros antecedant. Hac ratione si libri dispositi erunt, etiam loci, quibus invicem allegantur, congruent: d. gener. an. II, 3, p. 736, 37 [d. anim. II, 2—4 (p. 415, 24)]; ibid. V, 1, p. 779, b, 22 [d. anim. II, 7, p. 418, b, 8 et d. sens. 2, p. 438, 13]; d. somn. 3, p. 458, 15 [hist. an. III, 2—4]; d. respir. 12, p. 477, 6 [hist. an. IV, 1 sq.]; ibid. 16, p. 478, 27 [hist. an. I, 17]; ibid. v. 35 [hist. an. II, 17]; d. part. anim. II, 1. p. 647, 26 [d. somn. 2, p. 456, 5 vel d. sen. et iuv. 3, p. 469, 4]; ibid. II, 7, p. 653, 19 [d. sens. 5, p. 444, 30 et d. somn. 3, p. 456, b, 22]; ibid. II, 10, p. 656, 29 [d. sens. 2 vel d. sen. et iuv. 3]; ibid. III, 6. p. 669, 4 [d, respir. 10, p. 476, 1]; ibid. IV, 13, p. 696, b, 1 [d. respir. 10, p. 476, 1]; ibid. p. 697, 22 [d. respir. 10, p. 476, 6]; d. gener. an. V, 1, p. 779, 6 [d. somn. 2]; ibid. V, 2, p. 781, 21 [d. sens. 2, p. 439, 1]; ibid. V, 7, p. 786, b, 24 [d. anim. II, 8 et d. sensu ea, quae exciderunt de sono].

Repugnat autem nostrae librorum dispositioni unus locus d. iuv. et sen. c. 3, p. 468, b, 31:

ἡ δὲ καρδία ὅτι ἐστὶν ἀρχὴ τῶν φλεβῶν, ἐν τοῖς περὶ τὰ μέρη τῶν ζῴων εἴρηται πρότερον, καὶ ὅτι τὸ αἷμα τοῖς ἐναίμοις ἐστὶ τελευταία τροφὴ, ἐξ οὗ γίνεται τὰ μόρια. At haec omnia verba, quae exscripsimus, integro sensu optime demi vel addi possunt, quin sententiarum contextum turbare videntur, quum post verba (v. 30) ὥστε καὶ ἐν κ. τ. λ. melius sequerentur (p. 469, 2) φανερὸν τοίνυν κ. τ. λ.; quibus accedit, quod talia verba facile ab eo adscribi poterant, qui historias animalium vel libros de partibus legisset; neque minimum certe argumentum est, quod hic unus locus quindecim aliis unam eandemque rem probantibus repugnat. Tanquam glossema itaque illa verba secludenda censemus.

Deperdita ea sunt, quae Aristoteles de nutrimentis conscripsit; illa vero quintum librum d. gener. anim. proxime secuta esse, non solum ex huius ipsius libri sensu apparet, qui a quaestione de fetu et partu optime transitum parat ad nutrimentorum in corpore effectum, — sed etiam ex illis locis, ubi coniunctim cum libris de generatione promittuntur. Ita d. part. an. III, 14, p. 674, 20 περὶ τούτων ἐν τοῖς περὶ γένεσιν καὶ τὴν τροφὴν οἰκειότερός ἐστιν ὁ ὁρισμός· ibid. II, 3, pag. 650, b, 10 ὃν δὲ τρόπον λαμβάνει ἐξ αὐτοῦ τὴν αὔξησιν τὰ μόρια, ἔτι δὲ περὶ τροφῆς ὅλως ἐν τοῖς περὶ γενέσεως καὶ ἑτέροις οἰκειότερόν ἐστι διελθεῖν. Intime vero cum quinto libro d. gener.

eum de nutrimento cohaesisse et quasi unum opus ex utrisque constitisse (ut physicae auscultationes ex libris *περὶ ἀρχῶν* et iis *περὶ κινήσεως καὶ χρόνου* constant), ii loci monstrant, quibus ad *τὰ περὶ γενέσεως* quaestiones de rebus ad nutritum pertinentibus ablegantur, ut d. sens. c. 4, pag. 442, 3 *πάντα τρέφεται τῷ γλυκεῖ ἢ ὅλως ἢ μεμιγμένως· δεῖ μὲν οὖν διορίζειν περὶ τούτων ἐν τῷ περὶ γενέσεως·* d. part. an. III, 5, p. 668, 8 *πῶς μὲν οὖν τρέφεται τὰ ζῷα καὶ ἐκ τίνος καὶ τίνα τρόπον ἀναλαμβάνουσιν ἐκ τῆς κοιλίας, ἐν τοῖς περὶ γενέσεως λόγοις μᾶλλον ἁρμόζει σκοπεῖν καὶ λέγειν.* In libris d. gener. ipsis promittitur liber *περὶ τροφῆς καὶ αὐξήσεως*: V, 4, p. 784, b, 2 *ἀκριβέστερα δὲ περὶ τοιαύτης τῆς αἰτίας ὕστερον λεκτέον ἐν τοῖς περὶ αὐξήσεως καὶ τροφῆς ·* et II, 6, p. 744, b, 34 *θρεπτικὸν μὲν ὃ τὸ εἶναι παρέχεται τῷ τε ὅλῳ καὶ τοῖς μορίοις, αὐξητικὸν δὲ τὸ εἰς μέγεθος ποιοῦν τὴν ἐπίδοσιν · περὶ ὧν ὕστερον διοριστέον μᾶλλον,* — ibid. p. 745, 9 *δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἀεὶ λαμβάνουσιν* (sc. *τὰ ζῷα*) *αὔξησιν, ὕστερον λεκτέον,* — IV, 9, p. 777, b, 6 *αἴτιον τοῦ μὲν εἶναι μακρόβιον ὁτιοῦν ζῷον τὸ κεκρᾶσθαι παραπλησίως πρὸς τὸν περιέχοντα ἀέρα καὶ δι' ἄλλα συμπτώματα φυσικά, περὶ ὧν ὕστερον ἐροῦμεν*[30]). Praeterea

30) *τἄλλα συμπτώματα* idem h. l. significat, quod Arist. pag. 745, 9, *τὴν αἰτίαν τοῦ μὴ ἀεὶ λαμβάνειν αὔξησιν* vocat; immerito ad librum de longit. et brev. vitae referebant falseque inde putabant, post libros d. gener. illum ponendum esse.

ad librum *περὶ τροφῆς* Aristoteles lectorem ablegat d. anim. I, 4, pag. 416, b, 30 *τύπῳ μὲν οὖν τί ἐστιν ἡ τροφὴ εἴρηται, διασαφητέον δ'ἐστὶν ὕστερον περὶ αὐτῆς ἐν τοῖς οἰκείοις λόγοις·* d. part. an. II, 8, pag. 653, b, 13 *τὰ μὲν οὖν τῆς τροφῆς περιττώματα περὶ τὴν τῆς τροφῆς σκέψιν καὶ θεωρίαν οἰκείους ἔχει τοὺς λόγους, τίσι τε τῶν ζῴων ὑπάρχει καὶ διὰ τίνας αἰτίας.* Duo tantum nobis obstant loci, alter d. somn. c. 3, pag. 456, b, 5 *εἴρηται περὶ τούτων ἐν τοῖς περὶ τροφῆς· νῦν δὲ ἀναληπτέον ὑπὲρ αὐτῶν τούτου χάριν, ὅπως τὰς ἀρχὰς τῆς κινήσεως θεωρήσωμεν καὶ τί πάσχοντος τοῦ μορίου αἰσθητικοῦ συμβαίνει ἡ ἐγρήγορσις καὶ ὁ ὕπνος,* — quae verba cuilibet ordini repugnant et vix unquam reconciliari poterunt; alter locus est meteor. IV, 3, pag. 381, b, 12 *πέττεται μὲν γὰρ* (sc. *ἡ τροφὴ*) *ἐν τῇ ἄνω κοιλίᾳ, σήπεται δ'ἐν τῇ κάτω τὸ ἀποκριθὲν, δι' ἣν δ'αἰτίαν, εἴρηται ἐν ἑτέροις,* quorum postrema verba *δι' ἣν δ'αἰτίαν εἴρηται ἐν ἑτέροις* ab Aristotele fortasse non scripta sunt.

Hunc librum de nutrimento fortasse is de animalium motu secutus est; si enim coniicere licet, in libro *περὶ τροφῆς* etiam monstratum fuisse, qualem *ἡ θρεπτικὴ ψυχὴ* in animalium corporibus effectum habeat, non male secutum esse putamus eum librum, in quo vis *τῆς αἰσθητικῆς* et *νοητικῆς ψυχῆς* demonstrata sit; praecipue enim ibi auctor

docet, quomodo anima sensu affecta cogitatione deinde vel syllogismo quodam ad actum agatur.

Cum his etiam ille libellus de spiritu — περὶ πνεύματος — potius cohaerere videtur, quam cum parvis naturalibus; etiamsi enim ea certe forma, qua nobis relictus est, ab Aristotele non scriptus sit (in postremis capitibus oratio minus turbata est, quam in prioribus), — tamen apparet, priorem partem magis nutritionem, posteriorem vero vim movendi spectare, ubi ea praesertim notanda sunt, quae de calore tanquam causa efficiente c. 9 dicta sunt similia iis, quae d. mot. an. c. 8 leguntur. Intra libros de nutritione itaque et eum de motu insertus hic libellus transitum fortasse ab altero ad alterum parabat. C. 3, p. 482. b, 13 ad librum περὶ τροφῆς respicitur his verbis: ζῇ τὰ φυτὰ καὶ τρέφεται· ταῦτα μὲν οἰκειότερά πως τῶν περὶ τὰς τροφάς.

Libros, quos Aristoteles de plantis conscripsit, deperditos esse constat; qui enim hucusque in Aristotelis operibus ferebantur, Nicolao Damasceno vero auctori nunc vindicati sunt[31]). Pluribus autem locis commemorantur: meteor. I, 1, p. 329, 5 post meteorologica eos secuturos esse, promittitur his verbis: διελθόντες δὲ περὶ τούτων

31) *Meyer Nic. Damasceni de Plantis libri duo, Arist. vulgo adscripti; ex Isaaci Ben Homain versione Arabica lat. vertit Alfredus.* Lips. 1841.

θεωρήσομεν εἴ τι δυνάμεθα κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον ἀποδοῦναι περὶ ζῴων καὶ φυτῶν καθόλου τε καὶ χωρὶς, σχεδὸν γὰρ τούτων ῥηθέντων τέλος ἂν εἴη γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως πάσης· ibid. IV, 12, pag. 390. b, 20 δηλωθέντων δὲ τούτων (sc. τῶν ὁμοιομερῶν) ὁμοίως τὰ μὴ ὁμοιομερῆ θεωρητέον καὶ τέλος τὰ ἐκ τούτων συνεστῶτα οἷον ἄνθρωπον φυτὸν καὶ τἆλλα τὰ τοιαῦτα. Disceptaturis, num libri de plantis eos omnes, qui de animalibus agunt, antecesserint an secuti sint, utrumque affirmant loci, quibus allegantur; antecessisse dicuntur hist. an. V, I, pag. 539, 20 ὥσπερ εἴρηται ἐν τῇ θεωρίᾳ τῇ περὶ τῶν φυτῶν et gener. an. I, 23, pag. 731, 29 ἐν τοῖς φυτοῖς ἀχώριστον τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν · ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἐν ἑτέροις ἐπέσκεπται. Tanquam ad sequentes vero ablegamur d. long. et brev. vit. pag. 467, b, 4 περὶ τούτων καθ' αὑτὰ ἐν τοῖς περὶ φυτῶν διορισθήσεται, et d. iuv. et sen. c. 2, pag. 468, 31 δι' ἣν δ' αἰτίαν τὰ μὲν οὐ δύναται διαιρούμενα ζῆν τὰ δ' ἀποφυτεύεται τῶν φυτῶν ἕτερος ἔσται λόγος, et d. gener. an. V, 3, pag. 783, b, 20 περὶ τούτων, sc. τῶν φυτῶν, ἐν ἄλλοις τὸ αἴτιον λεκτέον. Dubie, num antecedentes an subsequentes citentur, dictum est d. sens. c. 5, pag. 442, b, 25 οἰκείαν ἔχει τὴν σκέψιν ἐν τῇ φυσιολογίᾳ τῇ περὶ τῶν φυτῶν, et d. part. an. II, 10, pag. 656, 2 θεωρητέον καθ' αὑτὰ περὶ τῆς ἰδέας αὐτῶν, sc. τῶν φυτῶν, et d. gen.

an. I, 1, pag. 716, 1 περὶ μὲν οὖν φυτῶν αὐτὰ καθ' αὑτὰ χωρὶς ἐπισκεπτέον.

Fortasse Aristoteles non semel tantum de plantis egit, sed eadem ratione, qua libros de historia animalium, historiam plantarum conscripsit, quae illam antecesserit, causas autem in aliis libris demonstravit, qui ad libros de anima relati tertiam quodammodo partem effecerint eam, in qua de anima una tantum vi — τῇ θρεπτικῇ — exstructa agatur; hi itaque libri de plantarum partibus et generatione, si quid divinare licet, illos de animalibus secuti erant.

Iam videndum, quomodo hi omnes libri cum universa philosophia physica cohaereant; ad φυσικὴν enim ἐπιστήμην eos ita pertinere, ut eam compleant et perfectam demum reddant, apparet ex meteor. I, 1, pag. 339, 5—11 διελθόντες δὲ περὶ τούτων (sc. τῶν μετεωρολογικῶν) θεωρήσομεν εἴ τι δυνάμεθα κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον ἀποδοῦναι περὶ ζῴων καὶ φυτῶν καθόλου τε καὶ χωρίς· σχεδὸν γὰρ τούτων ῥηθέντων τέλος ἂν εἴη γεγονὸς τῆς ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν προαιρέσεως πάσης, et d. part. an. I, 5, pag. 645, 4 ἐπεὶ δὲ περὶ ἐκείνων διήλθομεν λέγοντες τὸ φαινόμενον ἡμῖν, λοιπὸν περὶ τῆς ζωϊκῆς φύσεως εἰπεῖν, — quin historia animalium ipsa φυσικὴ ἱστορία nominatur d. part. an. II, 3, pag. 650, 31, quo accedit, quod permultis locis in libris historiam naturalem spectantibus aeque atque in ceteris (phys. ausc., d. coel., d. gen. et

corr., meteor.) Aristoteles ideo aliquam rem se tractare profitetur, quia physici philosophi — *τοῦ φυσικοῦ* — sit, talia examinare"[32]).

In quo physices ut ita dicam systemate libros de physicis auscultationibus, de coelo, de generatione et corruptione, meteorologica, iis de animalibus et plantis priores esse, facile apparet; postquam enim (phys. ausc. I et II) Aristoteles definivit, quot principia rerum sint, iam (III et IV) id, quod *ἀρχὴν κινήσεως* i. e. *φύσιν* ipsam vocat, ita examinat, ut etiam de spatio et tempore multis verbis agat; ad motum deinde rediens eo consilio (V — VII) disputat, ut probet (VIII), primum quoddam movens esse, quod aeterne circulo circumferatur, idque esse coelum aeternum (d. coel. I), in quo illa spatii contraria sint, unde situs terrae globi pendeat (II); iam ab his aeternis rebus ad eas transit (III, 1), quae gignuntur et perduntur, iisque certum quendam numerum principiorum subesse monstrat (III), quae principia rursus cum

32) id demonstrant collati inter se hi loci: phys. ausc. I, 1, p. 184, 15; 2, p. 184, b, 26; 4, p. 187, 28 et 34; 7, p. 191, 2; II, 3, p. 194, b, 20; 7, p. 198, 22; III, 1, p. 200, b, 13; 4, p. 202, b, 30 et 204, 1; 5, p. 204, b, 10; IV, 1, p. 208, 27; 6, p. 213, 13; VIII, 1, p. 250, b, 15 et 251, 5; 3, p. 253, 35. d. coel. I, 1, p. 268, 1; 11, p. 280, 32; 12, p. 283, b, 17; III, 1, p. 298, b, 2 et 19; 7, p. 306, 16; IV, 1, p. 308, 1; d. gen. et corr. I, 2, p. 316, 5 — 12; II, 9, p. 335, b, 25; d. anim. I, 1, p. 403, 28 et b, 11; d. sens. c. 1, p. 436, b, 17; d. part. an. I, 1, p. 639, 12 et 640, 1 et 641, 21 et 34; II, 7, p. 653, 8.

spatii contrariis ita cohaereant, ut unum grave et unum leve et duo intermedia sint — quatuor itaque principia — (IV); deinde quid sit γένεσις, examinat (d. gen. et corr. I) et, quomodo illa quatuor principia cum quatuor quae dicantur elementis cohaereant eaque constituant, quomodo denique omnes res ex iis fieri possint (non, quomodo fiant) (II). Ad rerum iam naturam descendens primum (meteor. I — III) monstrat, quomodo ex illis contrariis et elementis ea gignantur, quae intra terram coelumque sint, — ita omnia cohaerent usque ad postremum libri tertii meteorologicorum caput, in quo singulis quibusque verbis transitus paratur ad doctrinam de metallis [33]), et vere haec proxime sequi debebant, quia in iis illa contraria et elementa mera adhuc reperiuntur; ab his deinde transiendum erat ad ea corpora, quae ita ex illis elementis consistant, ut organica quaedam accedens vis ea coniungat, ad plantas itaque primum et deinde ad animalia [34]), in universum vero certe

---

33) Accorambonus (*Vera mens Aristotelis etc. Rom.* 1644. p. 485) ea, quae supremo capite libri tertii meteor. de metallis dicta sunt, suffecisse putat, cetera autem singulis artificibus tractanda ab Aristotele relicta esse; quam sententiam eo minus probare possumus, quia in metallis caloris et refrigerationis effectus optime certe observari et explicari possit, quod Aristotelem non omisisse putamus.

34) inde apparet, quam absurdum sit, ut d. coel. II, 2, pag. 284, b, 13 quaestio ad librum de incessu animalium reiiciatur, qui ad historiam naturalem pertinens nunquam illis de elementis vel motu prior esse possit; non dubita-

de iis primum partibus agendum, quae magis metallorum constructioni similes i. e. ὁμοιομερεῖς sint; et ex hac physicae philosophiae parte exstat liber, quem quartum meteorologicorum accepimus; hunc autem liber de mistione antecessisse debet [35]) et probabile est, libellos περὶ χρωμάτων et περὶ ἀκουστῶν illic genuinum locum habuisse; in utroque enim auctor monstrat, quomodo ex compositione organica colores vel soni pendeant. Post quartum meteorologicorum librum libri de plantarum et deinde ii de animalium historia ita inserti erant, ut extra systema positi materiem tantum illis suggesserint, qui ex prioribus physicis quaestionibus nexi causas totius naturae organicae continebant [36]). Hac itaque ratione Aristotelis systema physico-philosophicum uno complexu a summae philoso-

---

mus, quin vocabulum διώρισται ibi in διοριστίον mutandum sit, quod etiam cum totius sententiae nexu multo melius congruet.

35) obstat quidem locus meteor. II, 3, pag. 359, b, 21. secundum quem liber de mistione etiam secundo meteorologicorum libro prior esset, at facile h. l. ea verba, quae librum de mistione allegant, immutata esse possunt, postquam deperdito iam libro de mistione quartus ille liber meteorologicis adiunctus fuit, in quo et ipso liber de mistione tanquam antecedens commemoratur; (accedit, quod illo loco in vocabulo εἴρηται lectionis varietas satis magna reperitur, quae suspicionem augeat).

36) similiter libros de civitatibus — τὰς πολιτείας — iis de politica priores fuisse, apparet ex ethic. Nicom. X, 10, pag. 1181, b, 15—23.

phiae sublimissimis definitionibus ad pusillarum animalium partium perscrutationem decurret atque dignum summo philosopho monumentum erit, quem singulos libellos sine ordine et systemate casu ductum composuisse nunquam credemus.









